

dam D. Thomæ testimonia, quæ ad rem præsentem nihil mihi referre videntur. Fundamentum hujus sententiæ est duplex. Primum, quia alias justificatio fieret omnino ex justitia, et nullo modo ex gratia, saltem respectu Christi, quod illis videtur inconueniens, et contra Paulum, ubicunque de gratia justificationis loquitur, quia jam gratia non esset gratia, sed justitia. Quod si objicias, quia idem sequi videtur in eorum opinione, quia ipsi concedunt, habenti contritionem, seu ei cui applicatur baptismus, ex justitia dari gratiam et remissionem peccati respectu Christi, respondebunt hoc non esse inconueniens, quia sufficienter salvatur ratio gratiæ in ipsa gratuita applicatione, et ita conjunguntur perfectissimo modo ratio misericordiæ et justitiæ in justificatione peccatoris; si autem totum fiat ex meritis Christi, prorsus nulla ratio gratiæ intercedet. Secundum, quia, quod huic potius quam illi applicetur Christi meritum, atque adeo quod hic baptizetur potius quam ille, non est ex merito Christi, sed ex sola divina electione et misericordia, juxta illud Pauli ad Ephes. 1: *In quo nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; et ad Rom. 8: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, hos et vocavit*, etc. Quod totum statim, in c. 9, in solam Dei voluntatem et electionem refert; et similia sunt frequentia loca apud Paulum, sed præsertim videntur ad præsentem quæstionem accommodata illa ultima verba totius epistolæ ad Hebr.: *Deus autem pacis aplet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum*; ubi applicationem videtur referre in beneplacitum Dei, effectum vero in Jesum Christum.

3. Hæc sententia, quamvis antiquiores Theologi nihil expresse circa illam asserant, quia quæstionem hanc in propriis terminis non attigerunt, mihi tamen nec probanda, neque in scholis audienda videtur; quia neque veritati, neque pietati consentanea est; impugnant illam late Vega, toto lib. 4 super Concil. Trident., et lib. 15, c. 9 et 10; Hosius in Confessione fidei, c. 41 et 42; Lindanus, lib. 3 Panopliæ, c. 36; et alii qui nostra ætate contra Lutheranos scribunt. Ad explicandam ergo et definiendam veritatem,

4. *Omne auxilium gratiæ, ad justificationem ordinatum, Christi meritis datur.* — Dico: omne auxilium gratiæ excitantis et adjuvan-

tis, quod datur homini, ut se disponat ad gratiam, a prima vocatione usque ad dispositionem ultimam, est effectus et præmium meritorum Christi, qui hæc omnia bona hominibus meruit. Hæc, ut existimo, est aperta sententia D. Thomæ supra, q. 7, art. 9, ubi inquit, Christo datam esse gratiam, tanquam cuidam principio universali in genere habentium gratiam, cujus virtus se extendit ad omnes gratiæ effectus et operationes, quod art. 10 repetit, et in art. 11, et in q. 8 tota, præsertim art. 3, ad 2, ubi fidem etiam mortuam dicit esse ex influxu Christi capitis, et ita omnes recentiores discipuli D. Thomæ hanc conclusionem amplectuntur. Quam satis etiam indicat Scot., in 3, dist. 19, q. unica. Probo ex Scriptura et sanctis Patribus, ad Ephes. 1: *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in celestibus in Christo*, ubi inquit Ambrosius: *Omne donum gratiæ Dei in Christo est, et si quis, spreto Christo, benedici se a Deo putat, errare se sciat*; et subjungit Paulus: *In quo sorte vocati sumus*; quo testimonio abutebatur contraria sententia; nam expresse ibi Paulus ait ipsam vocationem dari nobis in Christo, ut notavit Aug., lib. de Dono perseverant., cap. 9; et evidentius docuit idem Paulus, 2 ad Timotheum 1: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu*; ubi recte hoc exponit Anselmus, quod etiam confirmat Paulus, ad Ephes. 2, generatim dicens, *creari nos in operibus bonis in Christo Jesu*; ubi totum negotium gratiæ et justificationis peccatoris, quia ex nullo ejus merito aut opere initium sumit, quædam moralis creatio dicitur, quæ tamen tota Christi meritis tribuitur, ut Chrysost. notavit; et cap. 4, inquit Paulus unicuique dari gratiam, *secundum mensuram donationis Christi*, qui in Ecclesiam suam influit diversas gratias, diversa ministeria, et auxilia ad illa perficienda. Et ad Philip. 1: *Vobis, inquit, donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini*. Ex quo loco colligit Augustinus, tract. 3 in Joan., etiam ipsum initium fidei, et auxilium patientiæ dari propter Christi merita; et in hunc sensum exponit illud Joan. 1: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; ita enim censet simpliciter esse legendum, ut sensus sit, ex plenitudine Christi accepisse nos, non hanc vel illam gratiam, sed simpliciter quiddam boni accipimus, quod ad salutem conferat; postea vero additur: *Et gratiam pro gratia,*

id est, secundam pro prima, ut ipse exponit. Et ibidem Chrysost., hom. 13, in eundem sensum exponit sequentia verba: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, dicens illum esse fontem gratiarum omnium. Ac denique Hieron. in eundem sensum tractat illud Isai. 53: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur, id est, inquit, ut quidquid Deus disposuit, illius virtutibus impleatur*; quod verbum est valde notandum, dissolvit enim fundamenta contrariæ sententiæ, et indicat punctum et occasionem deceptionis ejus.

5. Secundo probatur eadem conclusio testimoniis Conciliorum et aliorum Patrum, præsertim Augustini; Concilium enim Milevit., c. 3 et 4, et Concil. Arausic. II, c. 5, 6, 7, 19, 22, 24; Innoc. I, rescripto ad Concil. Milevit., quod est epist. 26 ejusdem, et 93 inter epistolas Augustini; et Cælestinus Papa, epist. 1 ad Episcop. Galliæ, loquentes de gratia Dei necessaria ad salutem, et ad opera pietatis, sub qua evidenter comprehendunt omnia auxilia excitantia et adjuvantia, et vocationes, et dispositiones, remotam et ultimam; loquentes, inquam, de hac gratia Dei, eandem vocant gratiam Christi, quia per Christum datur, et perinde existimant esse, dicere, gratiam Dei, et gratiam Christi, esse necessariam ad hæc omnia. In quo imitati sunt hi Patres Augustinum, I. de Prædest. Sanct., c. 2, ubi initium justitiæ tribuit gratiæ Dei et Christi, et lib. 1 contra duas epistolas Pelagianor., c. 9, eodem sensu affirmat, totam gratiam Dei per Christum dari; et similia habet epist. 106. Denique videtur jam hæc expressa definitio Concilii Trident., sess. 6, cap. 5, ubi sic inquit: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis, a Dei per Christum Jesum prævenienti gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione*, etc. Et confirmatur ex usu et consuetudine Ecclesiæ, quæ omnem gratiam etiam prævenientem, et conversionem ipsam seu vocationem ad fidem, postulat per Jesum Christum Dominum nostrum; persuasa, omnia hæc danda esse nobis per Christum, hoc est, per meritum ejus. Unde eleganter Augustinus, enarrat. 1 in Psalm. 108: *Oratio, inquit, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum*; et Bernard., serm. 13 in Cant.: *Quidquid sapientiæ, quidquid virtutis te habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ, deputa Christo; origo fon-*

tium et fluminum mare est, virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus.

6. Tertio, ut hoc ratione ostendatur, simulque fundamentum contrariæ sententiæ destruat, distinguendus est in operibus divinæ gratiæ ordo intentionis ab ordine executionis, ut supra late explicuimus, q. 1, a. 3; quamvis ergo verum sit, ut infra latius tractabimus, Deum elegerit ad gloriam, vel gratiam, vel fidem, hos homines potius quam illos, ex sola sua voluntate, et non propter merita Christi, nihilominus voluit conferre illis omnibus necessaria media et infallibilia, per quæ gratiam vel gloriam consequerentur per ipsum Christum. Quod evidenter docet Paulus locis citatis, et ostendemus iterum inferius, cum explicabimus quo modo prædestinatio nostra sit ex meritis Christi. Et quod non repugnet, per se manifestum est, quia, sicut Deus elegit Jacob potius quam Esau ad gloriam, sine meritis Jacob, et nihilominus voluit ut Jacob non consequeretur gloriam sine meritis, ita potest eligere hunc hominem potius quam illum ad gloriam, et consequenter ad omnia quæ necessaria sunt ad gloriam, sine meritis Christi, et nihilominus non conferre illi aliquod medium, seu aliquam gratiam qua disponitur ad consequendam gloriam, nisi propter merita Christi. Quod autem ita factum sit, probatur, quia ante omnem hanc gratiam prævenientem et excitantem collatam hominibus antecessit meritum Christi, vel in re ipsa, vel in prævisione divina, ut sectione præcedenti explicatum est; et meritum Christi dignum est omni præmio hujusmodi, imo est majus et excellentius illo; et hujusmodi ratio providentiæ perfectior est, et magis consentanea divinæ sapientiæ, et cedit in majorem quamdam dignitatem ipsius Christi, et totius humanæ naturæ; ergo. Et confirmatur, quia hoc pertinet ad perfectam Christi redemptionem; si enim non meruisset nobis omnes has gratias, non meruisset perfecte justificationem nostram, nec gratiam necessariam ad consequendam justitiam et remissionem peccati, ut per se constat, et magis ex sequentibus patebit. Unde confirmatur secundo conclusio, quia Adam, quod in ipso fuit, meruit nobis carentiam omnis gratiæ, omnisque divini auxilii; ergo Christus, ut perfectissimus redemptor, hæc omnia nobis promeruit, quia non sicut delictum, ita et donum, sed longe efficacius, et in suo genere excellentius.

7. *Responsio adversariorum.* — Et ex hac

conclusionem sequitur primo, meruisse Christum omnibus adultis omnes dispositiones ad gratiam, quas de facto recipiunt, tam remotas, quam ultimam; probatur ex dictis. Primo, quia hi actus sunt aliquo modo supernaturales; ergo sunt dona Dei gratuita; ergo dantur nobis per Christi merita. Secundo, hi actus non alia ratione sunt dona Dei, nisi quia per illius gratiam excitantem et adjuvantem efficiuntur in nobis; ergo eadem ratione sunt dona Christi, et effectus meritorum ejus, quia tota illa gratia adjuvans et excitans, est ex illius meritis, ut probatum est. Tertio, specialiter de ultima dispositione, quia cum illa infallibiliter conjuncta est justificatio, et remissio peccati; ergo si posset homo sine meritis Christi habere hanc dispositionem, posset etiam sine eisdem meritis consequi justitiam et remissionem peccati; sicut si homo per solas vires naturæ posset habere hujusmodi dispositionem, per eandem posset a se expellere peccatum. Responderi posset, actum, qui de facto est ultima dispositio ad gratiam, posse haberi sine meritis Christi; tamen, quod illa acceptetur ut sufficiens dispositio, et habeat secum conjunctam infallibiliter justitiam et remissionem peccati, esse ex meritis Christi; cum enim contritio de se sit insufficientis ad satisfaciendum Deo, tamen propter Christi meritum Deus illa contentus est, et habenti illam confert justitiam, et remissionem peccati; sicut in attritione manifestum est, respectu justificationis per sacramentum comparandæ; illa enim de se non erat sufficiens dispositio, tamen propter Christi meritum acceptatur ut sufficiens. Juxta quam responsionem dicendum esset, actum contritionis non haberi ex meritis Christi, tamen in esse ultimæ dispositionis esse ex illis, quia ab illis habet quod illam rationem induat.

8. *Confutatur. — Objectio. — Responsio.* — Sed hæc responsio et doctrina omnino falsa est, tum propter rationes factas; tum etiam quia, ut verum sit, illum actum, ut est ab homine, prius natura quam justificetur, non esse condignam satisfactionem pro peccato, tamen ex natura sua est actus maxime proportionatus ipsi justitiæ et charitati, unde de se et natura sua est proxima dispositio ad infusionem justitiæ, præsertim si includat amorem Dei super omnia, sicut actus fidei est proxima dispositio ad habitum fidei; si ergo hos actus posset homo habere sine Christi meritis, non fuissent admodum necessaria talia et tanta merita ad remissionem peccati

obtinendam; tum etiam quia Concilium Tridentinum totam justificationem nostram tribuit Christi meritis; unum autem ex præcipuis, et maxime requisitis in justificatione, est hæc dispositio. Quarto et ultimo, quia perfectum agens non tantum inducit formam, sed ad illam etiam disponit; Christus autem per sua merita perfectissimo modo in nobis operatur, habet enim perfectum influxum capitis, unde non prærequirit membra conjuncta corpori, ut in illa possit influere; sed efficacitatem habet ad influendum in membra separata, quæ tantum sunt membra in potentia, ut illa jungat corpori suo, ut supra, cum D. Thoma, q. 8, notavi; et hæc ratio tam de proxima quam de remotis dispositionibus procedit. Dices: hi actus sunt liberi; si ergo pendent a nostra libertate, quomodo possunt esse dona data ex meritis Christi? Respondetur: sicut sunt dona Dei, ita sunt præmia meritorum Christi; utrumque autem habent quatenus sunt actus supernaturales procedentes ab auxiliis excitante et adjuvante, sufficientibus et efficacibus.

9. Secundo, sequitur applicationem omnium mediorum, per quæ homini infunditur prima gratia, et datur remissio peccati, esse ex meritis Christi. Hoc probatur ex dictis, primo ratione generali, quia hæc applicatio est maximum donum Dei, et maxime necessarium ad salutem; sed Christus meruit nobis omnia Dei dona, et omnia media necessaria ad salutem, ut ostensum est; ergo. Secundo in speciali explicatur, quia hæc applicatio meritorum Christi aut fit ex dispositione operantis, ut per contritionem; aut fit ex opere operato, ut per sacramenta: si fiat primo modo, jam ostensum est non solum contrito dari gratiam ex meritis Christi, sed etiam contritionem ipsam, et quidquid gratiæ ad illam habendam confertur, propter eadem merita dari; sed merita Christi non applicantur hoc modo, nisi per ipsam contritionem; ergo talis applicatio etiam est ex meritis Christi. Et confirmatur, quia tunc applicatio fit per fidem Christi vivam; sed ostensum est hanc fidem esse donum datum propter merita Christi; ergo. Et ex hoc probatur alia pars, scilicet, cum applicatio meritorum Christi fit per sacramentum ex opere operato, etiam dari propter merita Christi, non solum effectum sacramenti, sed etiam ipsum sacramentum, tum quia nulla est ratio cur applicatio meritorum Christi, facta uno modo, sit effectus meritorum Christi, et non alio modo; tum

etiam quia ipsamet applicatio est donum Dei maxime necessarium ad salutem; tum præterea quia, sicut adultus vocatur ad fidem, et trahitur ad Ecclesiam per vocationem Dei efficacem, ita parvulus trahitur per baptismum, qui potest dici veluti quædam efficax vocatio ejus; ergo, sicut in adulto ipsamet vocatio est ex meritis Christi, ita in parvulo ipse baptismus. Quod ita etiam explicatur, nam in adulto ipsa voluntas suscipiendi baptismum est ex Christi merito; ergo etiam respectu parvuli illa Dei providentia qua fit, ut prius quam moriatur, baptizetur, et quod parentes, vel aliquis loco eorum habeat voluntatem et curam ut ille baptizetur, est specialis gratia Dei, præveniens ipsum; cur ergo hæc non erit ex meritis Christi, sicut ostensum est de omni auxilio gratiæ quod datur adultis? Ultimo, ratio fundamentalis est, quia, sicut Deus sua voluntate elegit hos potius quam illos ad gloriam, vel gratiam, vel alia supernaturalia dona, ita manifestavit Christo hanc suam electionem, et voluntatem; ergo, quamvis Christus omnibus meruerit, non tamen æque pro omnibus obtulit sua merita, sed juxta electionem Patris, aliter obtulit pro electis, et aliter pro aliis, et pro hoc parvulo obtulit, ut illi infallibiliter applicaretur baptismus, pro alio autem minime, sed tantum generali modo, ut magis ex sequenti illatione constabit.

10. *Christus et quoad sufficientiam meruit, et quoad efficaciam.* — Tertio, sequitur Christum Dominum meruisse, non tantum quoad sufficientiam omnibus hominibus omnia dona gratiæ, sed etiam quoad efficaciam meruisse aliquibus specialia dona, seu ut sua merita in illis haberent infallibiliter aliquem effectum gratiæ. Hoc sequitur manifeste ex præcedentibus, quia Christus, quamvis meruerit omnibus quoad sufficientiam, quibusdam tamen meruit ut cum effectu illis applicarentur sua merita; hoc autem est mereri quoad efficaciam. Quod præterea ex modo loquendi sacra Scripturæ confirmatur; Joan. enim 17 inquit Christus: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi*; et infra: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos*; et infra: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*; et infra: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint*; et infra: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*. Quo loco aliter Christus orat pro Apostolis, et pro elec-

tis, quam pro universo mundo, quia pro illis orat, ut efficaciter eis applicetur suum meritum, quo modo nunquam oravit pro omnibus hominibus, unde in eisdem verbis ostendit absolutam et efficacem voluntatem salutis illorum pro quibus orat. Unde Justin. Martyr, in q. 23 ad Orthodoxos, advertit, illam orationem Christi: *Sanctifica eos in veritate*, non esse fusam pro Juda, quia fuit efficax, sed pro cæteris Apostolis; et Luc. 22, dixit Jesus Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; quæ oratio fuit sine dubio efficax; meruit ergo per illam Christus et Petri conversionem, et infallibilem perseverantiam in fide. Deinde, Luc. 21, dicit Christus Apostolis: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere et resistere omnes adversarii vestri*; sicut ergo Christus est dispensator horum donorum Dei, et quibusdam illa donat, et non aliis, ita etiam illa meruit nobis, et quibusdam ita applicuit sua merita, ut efficaciter illa consequantur, non vero aliis. Denique Paulus, ad Hebr. 5, sic inquit: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*; et infra: *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*; est ergo oratio Christi efficax et infallibiliter exaudita, si ex voluntate absoluta procedat. Unde, sicut diversimode pro hominibus oravit, ita diversimode etiam meruit, aliis sufficienter, aliis efficaciter, propter quod licet omnium sit universalis redemptor, et sufficiens causa salutis, speciali tamen modo est causa efficax salutis eorum quos sibi facit obedientes. Et confirmatur tandem, quia incredibile est non aliter obtulisse Christum sua merita pro illis quos sciebat esse electos a Patre, quam pro aliis; cum videret voluntatem Patris esse ut illi infallibiliter salvarentur, et non alii, cui voluntati ipse se in omnibus conformabat.

11. Ad fundamenta contrariæ sententiæ: ad D. Thomam respondetur, male a citatis auctoribus referri, et pejus explicari, nam in illa q. 29 de Verit., art. 7, ad 8, expresse dicit, meritum Christi sufficienter operari salutem humanam, ut causam universalem; sed operari hanc causam applicari singulis per sacramenta, et per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur: *Et ideo*, inquit, *requiritur aliquid aliud ad salutem nostram præter*

meritum Christi, cujus tamen meritum Christi est causa; docet ergo aperte D. Thomas meritum Christi esse causam etiam ipsius fidei vel cujuscunque alterius medii, per quod ipsum meritum Christi nobis applicatur. Et in hac 3 p., infra, q. 21, art. 4, ad 2, dicit Christum non absolute orasse pro omnibus, sed pro prædestinatis, ut vitam consequerentur æternam; sentit ergo Christum prædestinatis meruisse efficacem applicationem suorum meritorum. Cum ergo hoc loco ad tertium dicit, regenerari in Christo, esse gratiam homini factam, intelligit respectu ipsius hominis, non respectu Christi; et eodem sensu dicit salutem hominis fieri ex gratia; et eodem sensu loquitur in locis aliis citatis, ex q. 29 de Verit., ut ipse se explicuit in solutione ad 8 jam citata; imo, in eadem solutione ad quartum, ait meritum Christi æqualiter se habere ad omnes quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; quod intelligendum est non tantum ex parte effectus qui in uno fit, et non in alio, sed etiam ex parte voluntatis qua ipse Christus meruit, et diverso modo obtulit sua merita pro diversis, ut explicatum est. Quia vero prima radix hujus diversitatis fuit electio et voluntas divina, cui se voluntas humana Christi conformavit, ideo absolute et simpliciter totum hoc negotium tribuitur gratuita voluntati Dei, ut magis in sectione ultima explicabimus. Et hinc etiam colligitur quo modo sit intelligenda comparatio inter Christum et Adamum, quam D. Thomas hic ponit in eadem solutione ad tertium; conveniunt enim in hoc, quod, sicut peccatum Adæ fuit prima radix omnis mali culpæ et pœnæ, ita meritum Christi est prima radix omnis boni, et gratiæ humano generi collatæ; tenet etiam in hoc similitudo, quod, sicut generatio carnalis ex peccato Adæ habet (ut ita dicam) vim et efficaciam ad influendum originale peccatum, ita regeneratio in Christo, quæ fit per baptismum, ab ipso Christo habet vim ad influendam justitiam; differunt tamen, quia peccatum Adæ non est causa ipsius naturalis generationis, nec dispositionis ad illius effectum necessariæ, nec denique est causa quod iste homo generetur, quamvis sit causa ut generatus contrahat peccatum; nam illud, quod naturale est, est per se bonum, et per se ordinatum a Deo, unde non trahit originem ex peccato; at vero meritum Christi, et est causa ipsius spiritualis regenerationis, et dat illi efficaciam, et influit in effectum ejus, et simul etiam causa est ut hic homo regeneretur,

propter quem specialiter suum obtulit meritum; quod bene indicavit Scot., dicta dist. 19, dicens hoc fuisse potissimum in merito Christi, quod meruit non conjunctos conjungi.

12. Ad rationes ex dictis patet responsio, ad primam enim respondetur, quamvis omne opus gratiæ, quod in nobis fit, propter merita Christi fiat, nihilominus veram salvationem gratiæ, tum quia respectu nostri totum hoc fit mere gratis; tum etiam quia, includendo ipsum Christum, et meritum ejus, et modum merendi, et offerendi sua merita pro nobis, totum negotium nostræ salutis duxit originem ex sola gratuita divina voluntate et electione. Ad secundam vero respondetur, concedendo non esse ex merito Christi hoc totum, scilicet, ut huic potius quam illi applicetur ejus meritum, seu quod hic potius quam ille baptizetur; est tamen ex meritis ut hic baptizetur, et ut huic applicentur ejus merita; in illa enim comparatione includuntur duo, scilicet, ut hic baptizetur, et non alius; et hoc posterius Christus non meruit, licet meruerit primum; quia illud non pertinet ad remunerationem, sed potius ad pœnam; unde non est opus gratiæ, sed justitiæ, et occulti judicii Dei. Neque testimonia Pauli ibi adducta aliud ostendunt: imo, si recte expendantur, nostram sententiam confirmant, ut de testimonio ad Ephes. 1 tractatum jam est, et de ultimo testimonio ad Heb. ex ipsis verbis facile constare potest; dicitur enim Deus aptare nos in omni bono juxta beneplacitum suum, hoc tamen facere per Jesum Christum; quanquam ergo electio sit ex voluntate Dei, tamen executio est per merita Christi. An vero ipsa etiam electio fundata sit in Christi meritis, dicitur in sectione ultima.

SECTIO III.

Utrum Christus Dominus meruerit nobis omnia dona gratiæ, quæ post primam justificationem conferuntur.

1. Hæc quæstio multa comprehendit, quia hæc dona varia et multiplicia esse possunt; omnia tamen sub una quæstione comprehendimus, ut prolixitatem vitemus, et quia in omnibus fere eadem est ratio quæstionis. Primum tamen omnium hic jam non agimus de habitibus infusis, qui justificantem gratiam comitantur, vel in illa aliquo modo continentur, ut sunt virtutes Theologicæ et morales,

et Spiritus Sancti dona; quia perfecta justitia omnes hos habitus complectitur; et ideo ubi probatum est primam justitiam dari ex meritis Christi, demonstratum relinquitur omnes hos habitus infundi nobis propter eadem merita, unde Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 7, definit, in justificatione accipere hominem per Christum fidem, spem et charitatem, ubi de habitibus loquitur, ut in superioribus tractatum est. Et inferius dicit, christianam justitiam, quam prius dixerat includere infusionem gratiæ et donorum, dari per Christum Jesum. Secundo, non tracto de effectibus sacramentorum, in quibus variæ includuntur perfectiones, præter primam gratiam justificantem, ut augmentum gratiæ, remissio venialium peccatorum, seu pœnarum temporalium, varia auxilia seu gratiæ sacramentales, characteres, seu spirituales potestates; nam hæc omnia, et quidquid per sacramenta ex opere operato confertur, certissimum est esse præmium, seu effectum meritorum Christi; quia sacramenta ex meritis Christi habent virtutem, et nihil aliud sunt quam organa per quæ merita Christi nobis applicantur, ut constat ex Concilio Tridentino, sess. 6, et trademus latius infra, agentes de sacramentis. Relinquitur ergo quæstio de aliis donis, quæ extra sacramentum homini conferuntur post primam justitiam, quæ ad quatuor capita revocari possunt, scilicet, auxilia excitantia et adjuvantia, quæ homini dantur ad bene operandum post acceptam primam gratiam. Secundo, meritum augmenti gratiæ et gloriæ, atque adeo ipsummet augmentum gratiæ et gloriæ. Tertio, satisfactio pro venialibus culpis et temporali pœna. Quarto, perseverantia in gratia usque ad finem vitæ.

2. *Nullum auxilium gratiæ confertur justificatis, nisi per merita Christi.* — Dico ergo primo: omnia gratiæ auxilia, quæ hominibus justificatis conferuntur, effectus sunt meritorum Christi. Hæc conclusio ex eisdem principiis probanda est, quibus supra probavimus similem assertionem de auxiliis antecedentibus justificationem, quia testimonia Scripturæ et Sanctorum generaliter de omnibus loquuntur. Et ratio est eadem, quæ hoc modo potest commode explicari: hæc enim auxilia, quædam sunt, veluti connaturalia ipsi gratiæ, ad eum modum quo concursus ad operandum debitus est unicuique facultati; et hæc auxilia intelliguntur cadere sub idem Christi meritum, sub quo cadit ipsa prima gratia. Sicut enim cum meruit nobis Christus primam gra-

tiam, meruit perpetuam ejus conservationem, quamdiu nos peccati impedimentum non objecerimus, ita etiam meruit illam aptam et expeditam ad operandum quantum necesse esset ex parte ipsius gratiæ; quia non tantum meruit illam ut esset in nobis, sed etiam ut per illam operari possemus; meruit ergo auxilium, seu supernaturalem concursum simpliciter necessarium ad operandum. Alia vero sunt auxilia extraordinaria, et uberiora, et hæc rursus interdum dantur homini justo ex beneplacito Dei sine merito suscipientis, atque adeo mere gratis respectu illius; et de his etiam est certum semper dari propter merita Christi, ut evidenter probant omnia superius adducta, quæ generaliter loquuntur de omnibus gratiæ donis; hoc autem est speciale donum gratiæ distinctum omnino ab ipsa prima, et ideo non solum est ex meritis Christi, sed etiam est nova applicatio talium meritorum; et hoc optime confirmant illa verba Christi, Joann. 15: *Sine me nihil potestis facere.* Interdum vero aliquod ex his auxiliis confertur ex merito hominis justificati, qui orando, operando, et bene se disponendo, per primam gratiam et priora auxilia impetrat, et de condigno meretur alia majora sibi necessaria et valde utilia; et de his eadem est ratio quæ de augmento gratiæ, et merito de condigno illius.

3. *Donum perseverantiæ semper est effectus meritorum Christi.* — Ex his tamen obiter inferitur, et dico secundo, donum perseverantiæ semper esse effectum meritorum Christi, quia hoc donum includit specialia auxilia, vel specialem Dei providentiam, qua homini confertur ut infallibiliter in gratia moriatur, quod est sine dubio magnum donum gratiæ, ut Concilium Tridentinum, sess. 6, illud appellavit, et est ita distinctum ab ipsa prima gratia, et illi non debitum, ut non possit cadere sub meritum de condigno hominis justificati; est ergo ex illis donis quæ de condigno dantur, solum propter merita Christi. Et confirmatur primo, quia hoc donum est maxime necessarium ad salutem æternam consequendam; ergo Christus, qui est auctor et perfectissima causa meritoria nostræ salutis, est etiam auctor et causa hujus doni. Confirmatur secundo, quia, ut infra ostendam, Christus meruit prædestinationem nostram; impossibile autem est mereri prædestinationem, non merendo hoc perseverantiæ donum, quod est unus ex potissimis effectibus prædestinationis, et quasi complementum ejus. Item supra